

que tam sæcularia, quam regularia beneficia obtinentibus; ergo idem etiam sentit Concilium de Episcopo regulari, neque ampliorem facultatem sæculari concedit. At vero Soto longe diverso nititur fundamento; ipse enim, q. 4 ejusdem libri, ex professo probat Episcopos esse veros dominos suorum reddituum, et consequenter, tanquam veros dominos, habere liberam dispensationem, cum onere tamen fideliter implendi onera Episcopalia; postea vero in alio articulo ultimo facit æquales Episcopos regulares, etiam in ipso dominio, ut supra retulimus; ex quo manifeste concludit, monachos Episcopos periinde possidere ecclesiastica bona ac reliquos sæculares. Itaque Navarrus, dum sæculares Episcopos re ipsa pauperes facit, æqualitatem inter eos et regulares constituit; Soto vero, ut eandem faciat æqualitatem, regulares Episcopos divites facit.

29. *Non æquiparari dictos Episcopos verior sententia.*—Inter has sententias, Navarri opinio minus improbabilis est; nam fundamentum Soti, quoad hanc partem de dominio regularium Episcoporum, revera est improbabile. Absolute vero etiam opinio Navarri non placet; probabilius enim censo Episcopos sæculares esse dominos fructuum suorum Episcopatum, ut plane sentit D. Thomas, dicta quæst. 183, art. 7, ubi prius dicit, Episcopos habere propriorum bonorum dominium; postea vero subdit, eandem esse rationem de his redditibus ecclesiasticis, qui specialiter sunt Episcopatu deputati, de qua re alibi in opere de Ordine tractari solet. Ex hac ergo inæqualitate, quam regularis et sæcularis Episcopus habet in dominio talium bonorum, infero non esse æquales in facultate dispensandi illa. Probatur primo ratione generali, quia major est potestas domini quam dispensatoris, ex genere suo; ergo etiam in præsentia est major, quia nullo jure speciali impeditur illa inæqualitas. Secundo declaratur, nam aliqua dispensatio seu usus talium bonorum esse potest licita Episcopo sæculari, quæ non sit regulari; ut, verbi gratia, si ille pauperum necessitatibus, et aliis piis operibus sui Episcopatus sufficienter providit, et adhuc habeat superflua de suis redditibus, nihil profecto peccabit, si aliquid donet ob solam cognationem vel liberalitatem, quidquid Navarrus dicat in citata questione prima, monito 40, n. 12, neque id repugnat Concilio Tridentino, quia fieri potest sine dissipatione ecclesiasticorum bonorum, ut alibi dicemus, Episcopo autem regulari hoc non li-

cet, nisi cum magna moderatione. Præterea in multis casibus, licet uterque peccet, abundantius donando quam possit, est tamen diverso modo; nam sæcularis non peccabit contra justitiam, sed contra religionem, abutendo bonis aliquo modo sacris; vel contra misericordiam, omittendo pauperes propter consanguineos; vel contra obedientiam canonum ecclesiasticorum, præsertim dicti Concilii Tridentini. Regularis vero, præter hos modos, peccabit etiam contra justitiam, cum ea donet quorum non est dominus, et ultra facultatem dispensandi quam habet. Dices: cui facit injustitiam? non enim suæ religioni, quia illa nullum jus habet ad talia bona; nec suæ Ecclesiæ, quia illa potius tenetur ex justitia portionem suam dare Episcopo. Respondetur, injustitiam fieri propriæ Ecclesiæ, in qua manet dominium talium bonorum, propter incapacitatem talis personæ; et ideo, licet ex justitia teneatur alere Episcopum, eique administrationem illorum bonorum committere, nihilominus ipse etiam tenetur ex justitia jus Ecclesiæ illasum servare.

30. *Ratio ex multis discriminibus.*—Præter hæc, Episcopo sæculari, per se loquendo, licet non est habere ditiores suppellectilem, et ampliorem familiam quam regulari; nam, licet uterque possit et debeat Episcopalem dignitatem cum omni decencia et honore tractare, tamen sæcularis, etiam in hoc aliquantum excedat, vel nihil, vel saltem non graviter peccabit, si aliunde sufficientem pauperum curam habeat; regularis vero, mea sententia, facile poterit in hoc graviter peccare, quia debet servare paupertatem religiosam, in his quæ dignitati Episcopali non repugnant. Et simili modo dicam, facilius posse graviter peccare religiosum Episcopum notabilem pecuniæ quantitatem per ludum aut alium modum similem expendendo, quam sæculares, ex eodem fundamento. Denique, quamvis neuter ex his Episcopos possit testari de bonis intuitu Ecclesiæ acquisitis, nihil tamen repugnet consuetudine alicubi introducti, ut Episcopi testari possint de illis bonis, et nihilominus ex vi talis consuetudinis non posset testari Episcopus regularis propter incapacitatem personæ; imo fortasse, quoad hoc nunquam posset consuetudo prævalere, quia voto contraria videtur. Et ob eandem causam, licet Pontifex possit utrique Episcopo facultatem testandi concedere, longe tamen facilius, et ex leviori causa, Episcopo sæculari quam regulari; imo facultas data sæculari siue ulla cau-

sa valida esset, licet illicite daretur; data autem regulari videtur invalida; nam prior est tantum contra jus humanum, posterior vero includit dispensationem in voto, quæ sine causa data nulla est. Denique patrimonialia bona potest sæcularis Episcopus libere expendere, et de eis testari, quod non potest regularis Episcopus. Ex his ergo, ut existimo, manifeste convincitur, non habere tam amplam facultatem dispensandi, et expendendi bona temporalia religiosum Episcopum quam sæculares, quanquam auctores non tam accurate et in particulari hanc comparisonem expendunt. Fortasse tamen Cardinalis et alii, cum hos Episcopos faciunt æquales in libera dispensatione bonorum, non loquuntur de æqualitate in actibus et radice hujus dispensationis, prout a nobis explicata sunt, sed solum in libertate quoad modum dispensandi, ut in proximo sequenti puncto declarabimus.

31. *In qua independentia æquiparentur Episcopus regularis et sæcularis.*—Ultimo enim ex his constat, quod ultimo etiam loco supra, in fine n. 11, proposuimus, quare, scilicet, dicatur religiosus factus Episcopus habere ampliorem usum rerum quoad modum, et quandam independentiam ab alterius voluntate. Diximus enim, tomo præcedenti, in hoc maxime consistere uti re aliqua, non ut propria, quia solum fit ad arbitrium Prælati, et dependenter a voluntate ejus; religiosus ergo factus Episcopus jam non habet hanc dependentiam, sed ipso jure, ut sic dicam, et ex vi tituli Episcopatus, potest libere dispensare talia bona in omnem usum alias sibi non prohibitum; in hoc ergo recte æquiparatur Episcopus regularis sæculari, et id solum probant fundamenta Soti, Navarri et aliorum, quia, scilicet, titulus Episcopalis ejusdem rationis est in regulari et in sæculari Episcopo. Nihilominus tamen multa sunt prohibita in hoc genere dispensationis Episcopo regulari, quæ non prohibentur sæculari. Quod quidem non oportet intelligi de prohibitione speciali juris positivi; sufficit enim naturalis prohibitio, quæ sequitur ex vi voti paupertatis, et status religiosi, ut declaratum est.

32. Dices: illam independentiam a facultate alterius, etiam quoad usus licitos, videtur esse contraria voto paupertatis. Respondetur imprimis non esse contrariam, quia est quasi intrinseca tali statui, et ideo Superior qui illum statum concessit, consequenter fecit facultatem utendi bonis ejus quantum ejus conditio postulat. Unde, licet hæc dicatur indepen-

dentia a facultate per hominem (ut sic dicam) concedenda, includit nihilominus facultatem Prælati per jus ipsum datam, quod satis est ad substantiam paupertatis. Quod inde maxime declaratur, quia ipsemet Superior, hoc est Summus Pontifex, posset in hoc modum ponere Episcopo regulari, limitando modum disponendi de hujusmodi bonis, quia est illi specialiter subjectus per obedientiæ votum, ut statim videbimus, et votum etiam paupertatis retinet, ut hactenus demonstravimus; de essentia autem voti paupertatis est, ut dispositio talium bonorum ex Superioris arbitrio semper pendeat. Sicut ergo in superioribus diximus, non posse Prælatum religionis ita concedere peculium religioso, et facultatem disponendi de illo, quin semper possit a Prælato revocari, vel determinatus modus præscribi, ita regularis Episcopus non potest in hoc esse omnino independens a Pontifice, sed ejus arbitrio in usu talium bonorum semper debet subesse, et ita satis constat quomodo substantiam paupertatis retineat.

## CAPUT XVII.

AD QUID TENEATUR IDEM EPISCOPUS QUANTUM AD VOTUM OBEDIENTIÆ ERGA PRÆLATUM SUÆ RELIGIONIS, AUT ETIAM REGULAS.

Prima assertio tripartita pro priore parte tituli.—Superest dicendum de obedientia, quæ dupliciter a religiosis exercetur. Primo, circa præcepta Prælatorum religionis, quæ ab homine, ut sic dicam, imponuntur; secundo, circa observationem regulæ religiosæ, et observantiarum, quæ ratione illius unicuique regulari competunt. Quantum ergo spectat ad priorem partem tituli, dicendum est, quamvis Episcopus regularis substantiale votum obedientiæ retineat, nihilominus ratione illius non teneri ad obediendum Prælati suæ religionis, sed soli Pontifici Summo subesse. Prima pars constat ex dictis, quia hoc votum est maxime de substantia religionis; item quia non repugnat statui Episcopali, ut per se constat. Secunda pars declaratur primo, quia votum obedientiæ, etiam factum in tali religione, non postulat essentialiter actualem subjectionem ad aliquem Prælatum talis religionis, nam Generalis religionis, etiamsi perpetuus sit, votum obedientiæ retinet, et tamen nulli Prælati regulari subest; item quia Summus Pontifex est summus Prælatum cujuscumque religionis, et substantia voti obedientiæ

sufficienter salvatur respectu cujuscumque Prælati religionis, cujuscumque gradus vel conditionis sit. Sic ergo sufficienter probatur hoc non repugnare substantiæ hujus voti; quod autem ex vi dignitatis Episcopalis illa exemptio sequatur, probatur primo ex usu Ecclesiæ; secundo ex dicto c. *Statutum*, 18, q. 1, ibi: *Monachus, quem canonica electio a jugo regulæ monasticæ professionis absolvit, et sacra ordinatio de monacho Episcopum facit*; nam hoc maxime de jugo obedientiæ ad Prælatos religionis verum est, et dicitur esse a regula, quia obedientia esse debet secundum regulam, ut statim amplius exponemus. Tertio, quia hæc vota non manent in his quæ repugnant statui Episcopi, ut sæpe dictum est; repugnat autem Episcopum, qui suæ Ecclesiæ curam gerere debet, et omnes actiones suas in illius utilitatem consecrare, subesse obedientiæ suæ religionis. Quæ ratio probat optime respectu Episcopi habentis propriam Ecclesiam, et Episcopatum, in quo hæc exemptio ex natura rei consequitur, propter incompatibilitatem inter Episcopale munus et obedientiam regularem.

2. *Episcopi etiam titulares hac assertione comprehenduntur.* — In Ecclesia autem observatur ut religiosus, eo ipso quod consecratur Episcopus, licet revera non habeat proprium Episcopatum, sit liber ab obedientia omnium Prælatorum suæ religionis; de illis ergo alia est ratio, scilicet, quia non decet dignitatem Episcopalis consecrationis, ut talis persona maneat subdita inferioribus Prælati regularibus, quo sensu talis exemptio fundanda est in Ecclesiæ institutione, quæ ex traditione satis nobis constat; sola enim ratio decentiæ congruentiam ostendit, non tamen per se sufficit obligationem promissæ obedientiæ tollere. Accedit tandem, quod nullus consecratur Episcopus nisi sub titulo alicujus Ecclesiæ, ratione cujus habet jus illam regendi, quod per se satis est ut ex vi talis status liberari debeat a privata obligatione religionis; nam quod actu non possideat suam Ecclesiam, accidentarium est. Unde ex vi etiam talis consecrationis desinit religiosus esse actuale membrum in sua religione, quia per se, et ex vi suæ dignitatis factus est caput alicujus Ecclesiæ; ergo eadem ratione liberatur a jugo obedientiæ religionis.

3. Hinc vero facile concluditur ultima pars assertiois, in qua primo probanda est pars negativa, scilicet, quod hujusmodi Episcopus alteri quam Romano Pontifici, ex vi hujus voti, non subsit. Contingere enim potest ut hu-

jusmodi Episcopus subordinationem aliquam habeat, saltem in aliquibus rebus ad Archiepiscopum, vel ad Patriarcham, aut Prælatem; nulli autem eorum subesse potest eo quod regularis est, seu ratione voti obedientiæ. Ratio est, quia ipse non promisit obedientiam nisi Prælati suæ religionis, inter quos non computantur ullo modo Archiepiscopus, vel alii Superiores extra Summum Pontificem; ergo ex vi illius voti non obligatur obedire illis, etiam in his quæ ipsi possunt præcipere per ecclesiasticam jurisdictionem, sed obligabitur tantum ratione illius, eo modo quo alii Episcopi sæculares obligantur. Item hac ratione non tenetur Episcopus regularis obedire ex voto Concilio Provinciali præcipienti, sicut nec servare alia jura, vel leges ecclesiasticas, quia hoc specialiter non promisit, licet aliunde ratione officii, vel aliis titulis ea servare teneatur.

4. Hinc ergo recte concluditur teneri ex speciali vinculo religionis obedire Summo Pontifici, tum a sufficienti partium enumeratione; tum etiam quia Pontifex est vere Prælati religionis, et semper manet illi Superior, et obedientia ad illum non repugnat, imo maxime congruit cum statu Episcopali. Adverti autem potest quod, sicut votum obedientiæ religiosæ non est illimitatum, sed secundum regulam, ita Episcopus regularis non tenetur ex vi sui voti obedire in omnibus Summo Pontifici, sed in his tantum quæ directe, vel indirecte ad suam regulam pertinent; quia votum obedientiæ mutatum non est in se, sed tantum usus ejus, quoad respectum ad hunc vel illum Prælatum. Fieri tamen potest ut, supposito statu Episcopali, aliquid indirecte pertineat ad observantiam regulæ in tali persona, quod in aliis non pertinet, sicut intra eandem religionem in eo, qui habet munus Prælati Procuratoris, vel aliud simile, aliquid pertinere potest ad observantiam regulæ, quod in aliis non habentibus tale munus non pertinet. Et hac ratione existimo, quidquid in tali persona potest esse moraliter necessarium, supposito tali statu, vel ad spiritualem animæ salutem, vel ad perfectionem secundum regulam, esse materiam hujus obligationis, si ex vi illius voti præcipiatur, quia indirecte et reductive sub illo continetur.

5. *Dubium, an titularis teneatur obedientiæ voto respectu Ordinarii ubi commoratur.* — Occurrit vero hoc loco circa exclusivam positam, incidens dubium de Episcopo titulari, et regulari, qui intra diocesim alterius Epis-

copi habitat, cujus jurisdictioni ordinariæ videtur subjectus, an teneatur ex vi voti obedientiæ eidem obedire, nam videtur tunc perinde se habere ac religiosus a sua religione separatus omnino, quoad habitationem et subjectionem, de quo diximus supra, cap. 6, manere subjectum obedientiæ Episcopi. Dicendum vero est, etiam hunc Episcopum regularem soli Pontifici debere obedientiam religiosam. Et imprimis si talis Episcopus antea erat professus in religione exempta, evidens est non manere subjectum Episcopo loci, quia ante consecrationem erat exemptus ab ejus obedientia, et per consecrationem neque exemptionem amisit, nec denuo factus est illi subjectus. Quin potius, licet ponamus antea non fuisse de religione exempta, ex vi consecrationis eximeretur a jugo Episcopi, sub ea ratione, qua Prælati est talis religionis, cui ex voto alii regulares fortasse obedire tenentur. Nam, sicut quilibet religiosus exemptus per Episcopatum eximitur ab obedientia omnium Prælatorum religionis præter Pontificem, ita etiam non exemptus, quia eadem est utriusque ratio; ergo, licet Episcopus loci sit unus ex Prælati talis religionis, ab illius etiam obedientia eximitur. Quin potius existimo hujusmodi Episcopos titulares jure ordinario esse immediate subjectos Summo Pontifici quoad ecclesiasticam jurisdictionem, de qua re alibi dicendum est. Hinc etiam obiter intelligitur cui acquirat regularis Episcopus titularis, quia non habet Ecclesiam cui acquirat, et certum est non acquirere religioni a qua separatus est. Dicendum est enim per se, et ex vi juris, acquirere illi Ecclesiæ cujus titulum habet; quia vero non possunt illi cum effectu applicari talia bona, in pia opera dispensanda sunt, quæ dispensatio ipsi Episcopo est commissa, dependenter autem a Summo Pontifice, modo explicato in superiori puncto.

*An Episcopus regularis teneatur ad observantiam regulæ vel constitutionum suæ religionis.*

6. *Secunda assertio præsentis capituli.* — *Probatur tamen primo quoad immunitatem a constitutionibus.* — *Probatur secundo quoad immunitatem a regula.* — *Confirmatur.* — Ad secundam partem tituli dicendum est, Episcopum regularem per se et directe non teneri ad observationem regulæ, vel constitutionum religionis, nisi quoad ea, quæ sunt materia alicujus voti, vel quæ per aliquam ecclesiasticam legem scripta sunt. Contrarium hujus as-

sertionis sentiunt multi Summistæ, ut Angelus, verb. *Monachus*, n. 7; Armil. n. 8; Tabiena, § 5; Sylvester, *Religio*, 6, q. 10, et *Religio*, 7, q. 11, qui dicunt teneri ad observandas eas observantias regulæ, quæ non impediunt Episcopale munus; cui sententiæ multum certe favet D. Thomas, d. art. 8. Sed assertio posita communior est, ut statim referemus, et sine illa limitatione habetur in dicto c. *Statutum*, in illis verbis: *Quem canonica electio a jugo regulæ monasticæ professionis absolvit*; ubi Glossa id advertit. Ratione declaratur, distinguendo omnes leges religionis in illa duo membra, constitutiones, et regulas, quæ supra, lib. 1, c. 1, declarata sunt. Primo ergo quoad constitutiones ratio est clara, quia illæ non obligant nisi ut præcepta Prælatorum, vel Capitulorum religionis; sed talis Episcopus non tenetur obedire Prælati; ergo nec hujusmodi legibus; par enim est ratio præcepti scripti, seu legis permanentis, et præcepti ab homine impositi, si ex æquali jurisdictione procedunt; imo præcepta ab homine rigorosius obligare solent, quia, ut Juristæ dicunt, mitius agitur cum lege quam cum homine. De regula vero potest esse nonnullum majus dubium, quia, sicut esse solet a primis fundatoribus tradita, ita substantialis professio videtur directe respicere observantiam ejus. Nihilominus idem de illa censeo, præcise loquendo, ex vi regulæ; ita colligitur ex dicto c. *Statutum*, 18, q. 1, ibi: *Quem canonica electio a jugo regulæ monasticæ professionis absolvit*, ubi Glossa: Id est, a jejuniis, vigiliis, etc.; idem habet Glossa, in dicto c. 3, 16, quæstione prima, citans cap. secundum ejusdem quæstionis, ubi Gregorius ait: *Nemo potest et ecclesiasticis obsequiis deservire, et in monarchica regula ordinate persistere, ut ipse monasterii distractionem teneat, qui quotidie in ministerio ecclesiastico cogitur permanere.* Ex quibus verbis congruentia hujus exemptionis colligitur. Idem sentit Glossa in c. *Carnem*, de Consecrat., d. 5. Et idem plane tenent Sot. et Cajetanus infra citandi. Ratio autem est, quia illa regula solum obligat tanquam quædam lex huic communitati imposita; ergo solum obligat personas hujus communitatis, quamdiu sunt membra illius, quia omnis lex pro communitate per se primo fertur, et ita ad eos tantum loquitur, qui sunt partes illius communitatis; sed religiosus, eo ipso quod fit Episcopus, desinit esse membrum talis communitatis, quia nec est subditus, nec Prælati ejus; ergo non obligatur legibus ejus;

ergo nec regula ejus. Confirmatur, nam ob hanc causam non tenetur hujusmodi Episcopus servare consuetudines proprias suæ religionis; nam consuetudo est quædam lex non scripta, quæ servanda est, quamdiu vivitur inter eos qui talem consuetudinem servant, ut Augustinus dixit; ergo eadem est ratio de omnibus aliis legibus positivis propriis talis communitatis, inter quas regula connumeratur.

7. *Prima objectio contra hanc assertionem.* — *Hæc objectio concludit de observantiis substantialibus, non de accidentalibus.* — Sed contra, quia multa esse possunt in regula quæ servari optime possunt in statu Episcopali; ergo ad illa servanda tenebitur talis Episcopus; patet consequentia, quia juxta doctrinam D. Thomæ, quam supra etiam secuti sumus, licet observantiæ religiosæ, quæ impediunt Episcopale munus, cessent in eo statu, non tamen illæ quæ cum illo statu optime conveniunt. Cur enim cessabit prior obligatio, cum nullum ei ponatur impedimentum? Respondetur, doctrinam illam procedere de his observantiis quæ sunt de substantia status religiosi, vel directe, aut indirecte, seu implicite sub votum cadunt, et ideo hanc exceptionem primo loco in assertionem posuimus. Ratio autem differentie est, primo, quia status religiosus quoad substantiam est immutabilis, quoad accidentalia vero mutari potest; per transitum autem ad Episcopatum fit in eo maxima mutatio accidentalis. Secundo, quia obligatio voti est personalis, et ideo sequitur personam, quorumque tendat; obligatio autem legis est communitatis per se primo, et ideo cessat per separationem a communitate.

8. *Inter observantias substantiales censentur vota, si que fiunt ultra tria ordinaria.* — *Exemplum de voto Minimorum.* — *Item de votis aliis professorum Societatis.* — *Quid de quarto voto solemnium.* — Unde fit, exceptionem illam extendendam esse ad vota specialia quæ in aliqua religione fiunt, præter tria substantialia, si talia sint, quæ statui Episcopali non repugnant. Ut, verbi gratia, si religiosus ex ordine Minimorum Episcopus fiat, tenebitur ad observantiam non comedendi carnes, quia illa non est tantum ex regula, sed ex proprio et speciali voto; cessabit autem illa obligatio, quando speciali conditione personæ illa abstinence impedimentum fuerit ad Pontificalia munera. Similiter in Societate, si professus fiat Episcopus, tenebitur servare votum speciale quod pro tali statu emittit, de quo nul-

lum potest esse dubium, ut infra videbimus, tract. 10, lib. 6, c. 19; et idem censeo de cæteris votis simplicibus, quatenus materia eorum in tali statu occurrere potest, quia omnia illa perpetua sunt, et, supposita occasione seu materia, executio et observatio ejus nihil repugnat cum statu Episcopali. De voto autem solemnium obediendi Pontifici circa missiones, potest esse specialis ratio excusationis, quia videtur repugnare cum obligatione inserviendi proprio Episcopatu. Dico tamen obligationem de se manere, quia votum immutabile est. Unde imprimis, si quis esset tantum Episcopus consecratus, et titularis, ex vi illius voti posset obligari ad quædamque missionem, æque ac cæteri religiosi. Deinde, licet habeat Episcopatum, potest ex vi illius voti obligari ad relinquendum illum, ut in Indiam, verbi gratia, mitti possit, vel ad alium Episcopatum illuc transferri. Denique cum impedimentum illud subsit dispositioni ejusdem Pontificis, cui ipsum votum fit, non potest censi impedimentum ad non obediendum Pontifici, juxta obligationem illius voti præcipienti; nam ipse poterit impedimentum hujusmodi auferre; solum ergo necessarium est de re tota illum certiore facere, et postea obedire.

9. *Objectio contra eandem assertionem.* — *Episcopus regularis tenetur ad habitum religionis.* — Sed objicitur secundo, nam sequitur non teneri Episcopum regularem ad deferendum habitum suæ religionis; consequens est falsum; ergo. Probat sequela, quia deferre habitum non est materia voti, sed tantum est una ex constitutionibus religionis, nec etiam est canon aliquis ecclesiasticus, qui Episcopum regularem obliget ad habitum suæ religionis deferendum. Circa hoc communis sententia est, teneri hujusmodi Episcopum ad deferendum habitum suæ religionis; ita affirmat D. Thomas, dict. art. 8, quem ibi alii sequuntur; Sylvester, verb. *Religio*, 7, q. 11; Covar., c. 1, de Testam., n. 18, ubi alios auctores refert. Et colligitur ex c. *Clerici*, 2, de Vita et honest. cleric., ubi dicitur: *Pontifices autem in publico, et in Ecclesia, superindumentis lineis omnes utantur, nisi monachi fuerint, quos oportet ferre habitum monachalem.* Unde constat hanc obligationem non tantum ex regula, sed ex jure communi desumptam esse, et ideo addidimus aliam limitationem in conclusione; nam si de aliqua observantia religiosa per jus canonicum declaratum sit ab Episcopis esse observandam, tunc respectu il-

lorum non oritur obligatio immediate ex regula, sed ex tali jure. Imo significat D. Thomas hanc obligationem sequi ex substantiali statu religioso; cum enim dixisset Episcopum manere ad hæc substantialia obligatum, subdit: *Et per consequens ad portandum habitum suæ religionis, qui est obligationis signum, indicans professionem tum perpetuam obligare ad signum ejus deferendum, sicut ad præstandum actus ad quos obligat.* Unde, licet verbum oportet, positum in dicto c. *Clerici*, non sit adeo rigorosum, ut gravem obligationem sub mortali soleat significare, tamen juxta subjectam materiam ita interpretandum est et intelligitur ab auctoribus, ut patet ex Panormitano, ibi, n. 6. Et hoc tandem confirmat generalis Ecclesiæ consuetudo; nam quod Soto supra dixit, in Italia hoc non servari, quia Itali non dignantur Episcopos in habitu monachali videre, non video quo fundamento dictum sit.

10. *Imo putant aliqui teneri sub excommunicatione.* — Imo addit Sylvester supra, hanc obligationem tantam esse, ut Episcopus, si habitum suæ religionis omittat, incurrat excommunicationem latam in cap. 2, *Ne clerici vel monachi*, in 6. Covar. autem de hac excommunicatione dubitat: *Non enim est (inquit) in aliquo canone excommunicatio indicta monacho, qui prætextu Episcopalis dignitatis non dimisso habitu monachorum assumit albam illem, vel candidam vestem, quæ ab Episcopis exterius desertur, tametsi male faciat monachus Episcopus ea uti.* Verumtamen Covarrus non contradicit formaliter Sylvestro, sed aliquid addit, et utrumque indiget consideratione. Duo ergo hic distinguenda sunt, scilicet, dimittere habitum, vel, illo retento, superinduere rochetam. Propter hoc ergo secundum ait Covarrus, non inveniri in jure positam excommunicationem, quod ego verum censeo, quamvis inter Doctores dubium sit an occultare habitum religiosum sufficiat ad excommunicationem dicti capituli secundi incurrendam; in eo autem casu occultaretur habitus religiosus.

11. *Id tamen non est verum, si occultat habitum sub rochetto.* — Nihilominus, quidquid sit de alia occultatione, in hoc casu non censeo esse sufficientem causam illius excommunicationis, quia est nimia extensio legis pœnalis ultra verborum proprietatem. Eo vel maxime quod, non obstante indumento albo, posset retineri aliquod signum habitus religiosi, sive habitum longiorem deferendo, vel in colore et

forma caputii, aut manicarum. Sylvester autem loquitur in priori casu, in quo etiam non videtur res adeo certa, tum quia illud cap. 2 aperte loquitur de religiosis in suo puro statu et clausura manentibus; quod patet ex principio textus: *Ut periculosa religiosi eragandi materia subtrahatur*, etc., quæ non possunt ad Episcopum accommodari; tum etiam quia illa non videtur temeraria dimissio habitus, cum sit commutatio in alium habitum proprium Episcopalis status. Sed cum Ecclesia non concesserit regularibus Episcopis habitum illum, nec monachalis habitus desertionem, certe non posset illa commutatio a temeritate excusari; aliunde vero, quamvis ratio textus non videatur tam proprie habere locum in Episcopo, verba tamen in rigore illum comprehendunt, et ideo timendam esse censeo talem excommunicationem, præsertim quia monachalis habitus etiam in Episcopo deservire potest ad subtrahendum saltem evangelium nimium excessum.

12. *Quando habitus mutatio liceat.* — Dices: in c. *Deus qui*, de Vita et honestat. cleric., conceditur religiosi ut possint habitum mutare propter uniformitatem unius conversationis, quando in unam Ecclesiam conveniunt, quia unusquisque se debet conformare illis, cum quibus vivit, cap. *Quisque*, dist. 41, cap. *In nona*, 16, q. 7. Ergo, cum monachus fit Episcopus, permitti deberet monachalem habitum in clericalem mutare, cum inter clericos vivere debeat. Respondetur, id solum permitti, quando ex dispari habitu scandalum generatur; jam vero nullum generatur scandalum, eo quod monachus Episcopus suum habitum retineat; quin potius oppositum subditis scandalum inferret.

13. *Tertia objectio contra eandem assertionem in num. 6.* — Tertio objici potest, quia sequitur Episcopum regularem nihil peccare omittendo jejunia, et similia opera præcepta in sua regula, etiam sub mortali, quamvis possit facile et commode in suo statu illa servare; consequens est falsum; ergo. Sequela patet, quia si ille non est subjectus legi, nihil peccat non servando illam. Minor autem probatur ex D. Thoma dicente, posse Episcopum uti dispensatione in hujusmodi observantiis regularibus, quæ non repugnant Episcopatu. Qui autem indiget dispensatione, peccat, si absque illa transgrediatur legem; imo oportet dispensationem esse rationabilem, et ideo addit D. Thomas: *Secundum quod requirit necessitas personæ, vel officii, vel conditio homi-*